

AUSPICE DEO,  
EXERCITIUM ACADEMICUM,  
THEOREMATA  
TRIA MISCELLANEA  
EXHIBENS;

Indultu Ampliff. Ordinis Philosophici,  
*In splendido Finnonum Albeneo,*  
Sub  
DIRECTIONE  
*Viri Celeberrimi*

M. DAVIDIS LEONDI  
POESEOS PROFESS. REG. ET ORD.

*Liberalis publiciq; speciminis gratis,  
placido bonorum examini  
modeste delatum*

ab  
ERICO TAMMELINO,  
G. F. Nyland.

*Ad d. 7. Calend. Maji Anno à corporatis  
Verbo Dei M. DC. XCI.*

In Acroaterio superiori, horis  
solennibus.

---

ABOÆ, Exc. apud JOH. WALLIUM.

*Reverendissime & Amplissime Domine,*

**DN. JOHANNES  
GEZELI,**

S.S. Theologiæ DOCTOR excellentissime,  
Inclytæ Diœceseos Aboënsis PRÆSUL  
Eminentissime, nec non Regiæ Uni-  
versitatis PRO-CANCELLARIE  
magnificentissime,

In CHRISTO Pater & Promotor,  
humilimo animi obsequio æternum  
suspiciende,

**E**n humili tenues dextra Tibi sacro pagellas;  
Judicii sterilis semina prima mei:  
Sicut sacrifici permisit munere quondam  
Se DEUS exiguo maximus ipse coli,  
Sic etiam parvo Mæcenas optime dono  
Quod supplex porto, Te sine quæso capi,  
Ac immaturæ fœtum fructumque juventæ  
Suscipe pacata summe Patrone manu.

*Sic vovee*

devotissimus cultor

**E. TAMMELINUS.**

LECTORI Candido Salutem!



*Antum vis consuetudinis & inva-  
lescens scribendi studium effecit,  
ut etiam ego B. L. primitias in-  
genii mei exiles, tibi fistere,  
atque tot concinnis, politis sub-  
tilisque exercitiis, quae indies in lucem edie  
Lycaum nostrum Aboense, inserere sustineam.  
Interim videor mihi non effugere posse me eos,  
qui argumenta Theorematum discutiendorum,  
ad quae, ut ingenue fatear, casu delatus  
sum, jejuna & supervacanea censebunt, ope-  
ramque fructuosius, cuiquam altioris inda-  
ginis materia impendi potuisse. Verum si  
rem attentius estimare velint, aliud eos in-  
venturos, & Discursui nostro suam constare  
utilitatem, sponte professuros confido; pau-  
cis quippe libanda proponit ea, quibus Athei  
cyclopica furore correpti, si divinis testimoniis  
veniant, efficaciter convinci & retundi pos-  
sunt; praeterea adducit nonnulla, quae pro-  
fundam sapiunt antiquitatem, quorum me-  
ditatio insignem cunctis parit voluptatem  
& gratiam, quis enim in earum rerum co-  
gnitionem, quae à memoria hominum remo-  
sis-*

missima sunt, penetrare non desiderat, & quid  
in recessu contineant inquirere satagit, imo  
inquirere debet, quisquis solidam, robustam  
& exactam, non superficialiariam doctrinam  
venatur. Proinde nihil moror male erudi-  
torum quorundam judicia, qui animas sa-  
pientum, more Pythagorico in se transfusae  
existimantes, aliorum summo zelo denigrant  
& sugillant labores, nam soli sibi sapere vi-  
dentur, ut necesse sit a superis Vulcanum ex-  
poscere, qui cerebrum illorum turgidum &  
velut pregnans absoluta sapientia bipenni  
aperiat, ut armata illa Pallas erumpere possit  
ac profilire, Linguae vero ceream effigiem,  
Charitum Numini immolare, ut ex deblate-  
randi, & in bonos debacchandi fero isto &  
immani more ad humanitatem exculsi & mi-  
tigati esse tandem appareant, a qua tamen  
alias sunt remotissimi & alienissimi. Te au-  
tem benigne LECTOR, cujus perspicacioribus ocu-  
lis hac opella minus satisfieri, mea me con-  
vincit tenuitas, rogo atque obtestor, ut illam  
ipsam, favoris tui jubare illustrare & aequis  
censuris elimare digneris, Ego vicissim res &  
conatus tuos, in meliorem interpretari par-  
tem, & sinceri animi tui candorem, debitis  
decentare elogia nunquam desistam. Vale.



\*\*\*

IN NOMINE S. S. TRINITATIS

# THEOREMA PRIMUM,

De

ΘΕΟΓΝΩΣΙΑ GENTILIIUM.



NUM esse DEUM, Condi-  
torem & Rectorem Am-  
phitheatri hujus amplissi-  
mi, clare satis passim do-  
cent sacrae pandectae & una-

nimi consensu constanter profitentur  
omnes Christiani, divinae veritatis ju-  
bare illustrati; Imo etiam Gentiles e-  
munctioris naris, quamvis Mosaicae &  
Christianae doctrinae expertes, unum  
esse sacrum & venerabile Numen quod  
omnia a se condita suo moderetur ar-  
bitrio olim professi sunt, quod constat  
e monumentis scriptorum tam anti-  
quiorum quam recentiorum. Ex am-  
pla autem testium sylva, unum dunta-  
xat producam Lactantium qui Lib. de  
ira DEI c. 9. de Pythagora vetustissi-

A

mo

mo Philosopho Italicæ Sectæ Principe hæcce profert verba: *Pythagoras unum DEUM confitetur, dicens incorporalem esse mentem; quod ipsum cuius vel exinde certum evadere potest, quod DEUM appellaverit *Μονάδα* sive unitatem. Præterea ut res fiat clarior & nostra Sententia ipsa gentilium comprobetur confessione, omissis cæteris ipsum audiamus Senecam qui Lib. 4. de beneficiis Cap. 7. ita differit: *Quoties voles, sibi licet aliter, hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus esse possunt, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant. Si hunc naturam vocas, fatum, fortunam: Omnia ejusdem DEI nomina sunt, varie utentis sua potestate. Hinc est quod etiam Gentium Apostolus Act: 17: 28. 29. Arati alleget verba, haud obicure inueniens ejus nos esse numinis progeniem sive genus, quod Poeta cum gentibus sanioribus per Jovem intellexit. Quamvis enim pagani lumine gratiæ destituti fuerint, unum tamen esse verum**

rum DEum cognoverunt, partim traditione perpetua, nam quæ primitus è revelatione divina de DEO hominibus constabant, posteris eorum, quos DEus alloquio suo non dignabatur, quasi per manus tradebantur; partim quoque lumine naturæ: ecquisenim non perspicere potest, Macrocosmi splendidissimi structuram, expansi amplitudinem, astrorum ambages, rerumque omnium quæ Cælo, Terra, ac Mari apparent, admirandam copiam & stupendam harmoniam, agnoscere *creatorem, sustentatorem ac gubernatorem*. Quapropter Basilus mundum nuncupat τῶν ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. Sed de θεογνωσία naturali, tum *instita* seu *subjectiva* consistente in κοιναῖς ἐννοιαῖς, quæ ex habitu Divinitatis vel sapientiæ concreatæ superstites hominibus insunt, tum *acquisita* quæ per triplicem viam nempe *Negationis Causalitatis & Eminentia* instituitur, fuisse agunt Pneumatici; de cujus indole impræsentiarum accuratè dis-



4  
4  
quirere non est nostri instituti; asserimus tantum gentes beneficio ejusdem, DEI propriam rationem ejusq; attributa quodammodo apprehendisse, non tamen salutariter cognovisse. Atque sic patet heic intelligi cognitionem non quidditativam sed quidditatis, non perfectam sed imperfectam, non absolutam sed determinatam, restrictam feu aliqualem, non comprehensivam sed apprehensivam. Nam conceptu quidditativo & Comprehensiveo, DEUS est ἀκατάληπτος, ἄγνωστος, ἀρρητός, καὶ ἄφροστος. Imo quamvis Aristoteles vocaverit DEUM αἰδίον, Lib. 12. Met. c. 7. Ἀναξαγόρας Νῦν καὶ κοσμοποιόν, Plato δημιουργόν τῶν πάντων, & Aristoteles scripserit lib. 2. De Cælo, θεὸς δὲ ἐνέργεια ἀθανασία, τῆς δὲ ζωῆς αἰόλιος, atq; Epictetus præclare latis: ὁ θεὸς τὸν ἀνθρώπου εἰσήγαγεν εἰς τὸν κόσμον θεατὴν αὐτὸς τε καὶ τῶν ἔργων αὐτὸς, καὶ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν: nihilominus necessarii habuerunt ipsi etiam pagani profiteri, exactam DEI notitiam & genuinam ejus cultum eos latuisse unde ἄγνωστον ipsum



ipsum vocarunt; Cuius rei evidens est  
documentum ara Athenis DEO igno-  
to dicata: de qua divus Apostolus Act.  
17. 23, ita fatur: *Præteriens & videns si-  
mulacra vestra, vidi & aram in qua scri-  
ptum erat, IGNOTO DEO. Quod ergo i-  
gnorantes colitis, hoc ego annuncio vo-  
bis.* Quibus verbis Paulus aperte  
pronunciat Athenienses, inscios li-  
cer, illud coluisse numen quod ipse es-  
set annunciaturus ut deinceps agno-  
scerent. Tota igitur res huc redit,  
gentiles erectioris indolis *unum*  
DEUM omnino cognovisse, quamvis  
non quantum par erat, ex parte tamen,  
plenius agnitori nisi veritatem obviam  
id est DEUM in operibus loquentem  
rejecissent.

## THEOREMA SECUNDUM.

De

### CORNIBUS MOSIS.

**D**ivinus Moses, legislator ille maxi-  
mus, à sculptoribus & pictoribus  
duobus cornibus è capite prominentis

bus passim repræsentatur, quod quoties  
 vident judæi, Christianos rident inter-  
 rogantes: num Diabolum vel monstrum  
 eum fuisse credant, dignum proinde  
 videtur ut disquiratur quo jure quave  
 injuria ita depingatur. Causam hic sub-  
 esse quivis colligere potest, quid autem  
 eo denotetur non æque liquet; hinc  
 factum ut quidam (quorum meminit  
 Excellentiss. Drusus & ex eo Doct.  
 Pfeifferus) eo dementiæ progressi sint,  
 ut dicant uxorem ejus mœcham fuisse  
 & eum propterea cornutum dictum;  
 imo piget pudetq; referre etiamnum  
 ejusdem furfuris inveniri homines qui  
 ansam cavillandi hinc arripiunt. Quibus  
 hoc futile deliramentum non placet, fa-  
 ciem à jejunis ita emaciatam fuisse, ut  
 instar cornuum hinc inde prominere  
 nugantur. Sed viri cordati & eruditi-  
 one illustres, veram subolficientes cau-  
 sam àb ipsius facie radiis fulgente hoc  
 ortum suum habere clare demonstrant.  
 Postquam enim cum DEO præsens e-  
 gisset in monte Sinai, ubi majestatem di-

vinam cominus vidit & reverlus esset  
 ad populum suum, accidit, ut *sans a cla-  
 ritudinæ facies ejus renideret, ne intueri eum  
 populus valeret*, dicente Sulpitio Servero  
*Lib. 1. hist. sacr. C. 33.* Nata est autem opi-  
 nio vulgi de cornibus Mosis e male in-  
 tellecto textu Originali, nam *Exod. 34:  
 29. seq.* ubi hæc describitur historia legitur:  
 קרן עור פנוו Est autem קרן *Karan* אקרן *Keren*  
 quod vulgo cornu significat, unde vul-  
 gata Versio habet: *ignoravit quod cornuta  
 esset facies sua.* Pariter Aquila *νεγρωσθησεν ην.*  
 Sed quamvis אקרן *Keren* proprie signi-  
 ficat cornu, tamen metaphoricè etiam  
 radium cornu similem, & inde deriva-  
 ta vox קרן *Karan* splendere, coruscare &  
 radios instar cornuum vibrare denotat;  
 ut accurate præter alios etiam obser-  
 vat Beat. Doct. Terlerus de re litera-  
 ria optime meritus, in annotationibus  
 suis in Exodum. Quem sensum recte  
 exprimunt LXX. Interpretes: καὶ Μω-  
 σῆς ἔκ ηδαι ὅτι δεδόξαται ἡ ὄψις τῆ χειρὸς  
 τῆ νερωσθησεν αὐτῆ; h. e. *nesciebat quod glo-  
 rificatus erat aspectus cutis faciei ejus.*



Illam interpretationem etiam approbat  
 Divus Apostolus 2. *Corinth.* 3: 7. ubi ex-  
 tat *δόξα προσώπῃς*. Imo ab absurdis, quæ  
 ab altera sententia sequuntur hoc pro-  
 bat Doct. Pheifferus: nam si cornutus  
 fuit Moses, quare Israelitæ ipsum acce-  
 dere noluerunt? num timuerunt ut  
 cornibus feriret? Vel quare obvelavit  
 faciem? ne fortassis cornibus formida-  
 bilis, occurrentes terreret, aut ut op-  
 probrium regeret, ut Midam aures a-  
 sininas occultasse fabulantur? Id sane  
 est *ἄλογον & ἀπεσιλόουσον*. His ita præ-  
 libatis manifestum evadit, imperitum  
 vulgus, pictores, sculptores & quic-  
 quid est artificum, pro radiis in speci-  
 em Cornuum assurgentibus, vera  
 Cornua Mosi affinxisse, nescientes il-  
 lud quod imitatur speciem discernere ab  
 eo, quod revera tale est. De cætero  
 notandum quoque in antiquitatibus gen-  
 tilium multa latere vestigia radiorum  
 cervicem Mosi cingentium; cuius rei  
 clarissimum est documentum, quod  
 Dii eorum non pauci cornuti finguntur  
 utpote præprimis Bacchus, qui ab Eu-



9  
ripide & Orpheo vocatur *μυοκέρως* &  
*μυοκέρως*. Horatius lib. 2. Carm. 9.  
ubi Laudes recenser Bacchi ita canit:  
*Te vidit infans cerberus aureo  
Cornu decorum.*

Quod de historia Mosis ipsum mutua-  
tum esse cuius apparet. Imo multa alia  
apud eundem Poetam, & scriptores cæ-  
teros paganorum passim occurrunt,  
quæ petita sunt ex actis Mosaicis, plu-  
rima tamen sunt nugis aucta, imo e-  
tiam detorta & sub fabularum involu-  
cris abscondita, quod sua sagacitate ex-  
plorarunt viri exquisitissimæ eruditionis  
& acutissimi ingenii, qui luculenter do-  
cent Bacchum aut fuisse imaginem Mo-  
sis ut vult Celeberrimus Bochartus  
Chan. *Lib. 1. C. 18.* Et Clariss. Kippin-  
gius in *Antiquitatibus Roman. lib. 1.  
C. 2. n. 6.* Aut ipsum fuisse Mosen &  
sub hoc nomine cultum à gentibus ut  
prolixè contendit Magnus ille Vossius  
*Lib. 1. de Idol. C. 30.* Et pariter Doctis-  
simus Huetius, in *Demonst. Evangelicæ*  
*ca, opere nunquam satis laudato, propos.*

IV. *Cap. 4.* Ubi ~~num~~ 10. obiect. Bocharti diluit & nihil obstare ostendit, quin tuto asseratur ipsum Mosen per Bacchum indigitari, illumq; ab Ægyptiis, Phœnicibus, cæterisque paganis, honore cultum divino. Imo non tantum *Baccum*, verum etiam Ægyptiorum *Ihent* vel *Tboyt*, *Osriden* vel *Serapiden*, *Apin*, *Anubin*, *Mnevin*, Phœnicum pariter *Taautum* & *Adonidem*, item *Mercurium* & *Vulcanum*, qui omnes ferme cornuti pinguntur, aliosque variorum ethnicorum DEOS unum idemq; denotare numen, nempe sæpius commemoratum Mosen, fama per totum orbem notissimum, atq; ab eo ejusq; monumentis universam propemodum Theologiam gentilium manasse, non vanis conjecturis, sed rationibus verisimilimis ille idem Huetius evincere conatur.

## THEOREMA TERTIUM,

De

IDOLO MOLOCH.

Qvamvis Theoremate primo evictum sit, paganos sapientiores, qui-

quibus e meliori luto finxit præcordia  
 Titan, continuata traditione & lumine  
 naturæ, ad aliqualem DEi cognitio-  
 nem pervenisse; non tamen existiman-  
 dum, gentes universas ad æqualem no-  
 titiam pertigisse, illarum enim longe  
 maxima pars traditione primæva pau-  
 latim oblitterata & excussa, etiam ple-  
 racq; existis ignorabat, quæ viribus na-  
 turæ assequi potuisset, non quasi veritas  
 illi ob oculos non sit versata, sed quia eam  
 sese offerentem non comprehenderit,  
 nam DEum in opere elucentem, vi-  
 dit & clamoso silentio audivit dicen-  
 tem esse se conditorem & rectorem  
 universi, colique à nobis velle ac debe-  
 re: sed ad conspectum oculos clausit,  
 ad vocem obturavit aures, atq; opifi-  
 cium amplexata est pro opifice, cul-  
 tum creatori debitum creaturæ tribu-  
 endo. Coluit namq; non tantum u-  
 niversam naturam sed & ejusdem par-  
 tes, utpote solem, cæteraque astrâ, ele-  
 menta & etiam defunctorum animas,  
 unde magna copia emergit DEorum.



tam naturalium, ut vocant, quam animalium. Proh quanta dementia, miserrorum mortalium invasit animos! triginta millia Deorum sub Ductore uno maximo Jove educebant Græci prisci. Eorum autem præcipuos in sua sacra vanitatis plena deduxerunt Romani apud quos duplices erant; alii *Semidei, Semones, Indigetes, Minores & Minorum gentium, dicebantur & habebantur*; alii *Majorum gentium, aut Celestes qui & Selecti*, ex quibus duodecim *Consentes* reliqui vero *Octo Populares* appellabantur. Inter numina vero antiquissima & in sacris decantatissima quæ sibi finxerunt Deastrorum confarcinatores, fuit etiam Moloch idolum illud Ammoniticum, quod quale fuerit non convenit inter viros doctissimos, nam non magis chameleon variat in colore, quam auctores in exponendo Moloch. Operæ pretium igitur duximus impræsentiarum de eodem differere, non tam aliis futuri duces quam ostensuri, quos sequimur; quod dum facimus sectabimur *πολύνοισαι μάλλον ἢ πολυλογία.*



Et autem omnis rei tractationem recte  
 aspiciamus à nomine, ita omnium pri-  
 mo observandum quod מלך *Moloch*  
 vi & מלכא derivetur à מלך *regnavit*,  
 ex fuit atque sic *Moloch* vi vocis signi-  
 ficat Regem Imperatorem & Guber-  
 natorem, quo respexerunt LXX qui  
 in Lev. 18. *Moloch* ἀρχοῦρα vertunt.

Proporro imago seu effigies ejus  
 monstranda venit, illam, Crellius refert  
 fuisse statuam marmoream, Alii vero  
 (e R. Sol.) eam describunt quod fuerit  
 ærea intrinsecus excavata, habens fa-  
 ciem vituli, & manus expansas, instar  
 hominis manus aperientis, ita ut ali-  
 quid ab alio recipiat. Hanc autem  
 imaginem æneam septem constitisse  
 conclavibus, quidam memorant, alii  
 ad aram ipsius hoc referunt, alii ante  
 illam ipsam tot sacella exstructa fuisse  
 affirmant.

Cultum Molochi quod attinet, ve-  
 rum est liberos ipsi oblatos fuisse quod  
 patet è pluribus scripturæ locis, & præ-  
 cipue ex interdicto Lev. 20: 2. *Qui*  
*dic-*

dederit de semine suo Idolo Moloeb- mortu-  
 morietur. Dissentiunt vero eruditi u-  
 trum infantes qui ipsi offerebantur, tan-  
 tum per ignem fuerint traducti, an ve-  
 ro cremati: Prius Aben-Ezræ placet,  
 quod etiam innuere videntur verba  
 Deut. 18: 10. *Ne inuenietur in te qui lu-  
 strat filium aut filiam, ducens per ignem.*  
 Rab. Moses Maimonides, quem latine  
 interpretatus est Dionysius Vossius  
 Cap. 6. num. 5. modum translationis ita  
 describit: *Accenso igne magno, partem ac-  
 cipiebant Seminis, quam dein sacerdotibus igni  
 seruientibus tradebant. At sacerdotes ubi fili-  
 um accepissent eum patri resistebant: quo ipse  
 ex sententia eum per ignem traduceret. Igitur  
 pater filium permissu Sacerdotum per ignem  
 agebat. Pedibus autem iubebat transi-  
 re, donec flamma quicquid erat amensus  
 foret.* Addunt alii quod si pueri  
 quos per ignem ita raptabant, vel  
 vivi evaderent vel morerentur, paren-  
 tes nescio quam vel felicitatem vel in-  
 felicitatem sibi prædixisse. Posteri-  
 orem sententiam cum Mose Gerunde-  
 nensi

mensi & Isaaco Abravanel defendunt B.  
 Lutherus, Flacius, Drusius, Glassius,  
 Leusdenius & alii. Ast nihil impedit  
 quin tuto asseratur utrumq; morem &  
 cremandi & traducedı obtinuisse, Phœ-  
 nices enim a quibus sacrilega hæc sacra  
 provenisse convenit, in maximis peri-  
 culis liberos suos combusserunt, quan-  
 do vero nulla raderat calamitas publi-  
 ca, iustrarunt tanum id est inter duos  
 ignes ducebant pedibus nudis in hono-  
 rem DEI sui. Utrumque etiam e Scri-  
 ptura Sacra probari potest: nempe  
 februatıo ẽ loco *Lev. 18: v. 21.* Vivicom-  
 burium, *Psal. 106:37. Ezech. 16: 21. & 23: 39.*

Processum circa vivicomburium ad-  
 hibitum, qui describunt, ad cellulas si-  
 ve conclavia supra memorata recur-  
 runt & in eum finem adornata asse-  
 runt ut pullum columbinum immo-  
 lare volens primum ingrederetur: o-  
 vem aut agnum, secundum: arietem,  
 tertium: vitulum, quartum: juven-  
 cum, quintum: bovem, sextum deniq;  
 filium aut filiam, septimum occuparet:  
 ante



ante quod, ex sententia eorum, stabat  
 statua Molochi, quam osculari tenebatur  
 juxta illud Hof. 13: 2: *sacrificatores homi-*  
*num, vitulum osculabantur.* Deinde ante  
 Molochum filius collocabatur, Molo-  
 chus ipse igne supposito succendebatur  
 donec æs ignesceret, tunc sacerdotes  
 acceptum puerum aut in cavitate Mo-  
 lochi includebant & ita cremabant, aut  
 candentibus ejus manibus indebant,  
 qui brachia per artificium contrahens,  
 puerum amplectebatur & deinde ex-  
 cussum in ignem devolvebat. Ne au-  
 tem vagitus puerorum parentes flecte-  
 ret, sacrificuli interea aures eorum tym-  
 panorum strepitu obtundebant. Hinc est  
 quod existimant Tophet locum suburbii  
 Hierosolymæ ubi hæc sacra non sacra,  
 ab Israelitis peragebantur dictum à  
 תפן tympanis atq; תפן significare  
 tympanizationem. Bochartus vero To-  
 phet dicit alludere ad nomen Typho-  
 nis cujus pectus fabulantur Jovem ful-  
 mine percussisse & cum flagrare capis-  
 set eidem montem Ætnam imposuisse  
 qui



qui ex eo adhuc ardere dicitur, Typhonem autem deducit à græco *τύφην* quod est urere. Nos tamen priorem vocis interpretationem amplectimur quamvis utraque huc quadrare videatur. Vocatus fuit idem locus quoque *ציהנם* *vallis Hinnom* à quo in nefarii sceleris detestationem postea infernus *ציהנם* i. e. *γέεννα* nuncupatus est.

Succedit jam dispiciendum quale numen erat Moloch: Inter eos qui diversis & adversis studiis in expositione hujus rei sese macerant, sunt quidam qui opinantur nomine Molochi omne genus Idolorum significari, alii vero unum peculiare solis Ammonitis familiare insinuari contendunt; sed neutrius assertionis Patronos recte calculum ponere constans est eruditorum sententia. Quin potius tale denotari quod non minus ab aliis gentibus, quam ipsis Ammonitis colebatur, in designando autem eodem non conveniunt, sed in diversas scinduntur opiniones, quarum potiores hic recensere lubet.

Primo omnium offerunt se illi, qui per Moloch ignem intelligi autumant, quippe igni honor divinus exhibitus à gentibus plurimis utpote Persis, Cappadocibus, Phrygibus, Ægyptiis, Græcis atq; etiam Romanis, à quibus sub nomine Vestæ adoratus, ceu ininuit Ovidius 6. *Fast.*

*Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige  
flammam.*

Imo Nimbrodum apud Chaldæos primū cultum ignis instituisse creditur & urbem Babylonix Ur exinde nuncupatam, quod cives  $\aleph$  seu ignem pro Deo venerati sint, quemadmodum fute hac de re differit Vossius *Lib. 2. de Idol. C. 64.* sed hæc sententia siquidem idoneis destituta est fulcimentis sua sponte corruit.

Secundo loco nominandi sunt illi, qui solem denotari existimant, cujus cultus antiquissimus, vigitq; non tantum apud mortales profanos per universum orbem, verum etiam pro dolor! populum DEI quod liquet 2. *Reg. C. 23.*

C. 23. v. 11. item Ezech. 8: 16. pro quo asserto tanquam aris & focus pugnat Dionysius Vossius, qui in notis ad Maimonidem p. 78. exinde quod Moloch ratione nominis, Regem & maximum Deorum significat, solem esse probare conatur, qui princeps siderum atq; supremus apud gentes omnes Deus habitus: Unde canit Maro XI Æneid.

*Summe DEUM sancti custos Soractis Apollo.*

Contra Servium vero, qui Jovem summum esse contendit e Macrobio probat solem ab antiquissimis ethnicorum, Principem DEorum constitutum, nominatq; Jovis, Saturni, Martis, Liberi, Osiridis, aliaque multa, solem indigitasse, qua de re est etiam insignis Locus Statii Lib. 1. Theb.

*---Seu te roseum Titana vocari*

*Gentis Achemenia ritus, seu prestat Osirim  
Frugiferum, seu Persei sub nubibus antri  
Indignata sequi torquentem cornua Mitbram  
Eandem, cum filio Dionysio, inflat  
buccinam Gerardus Vossius, hoc sufful-*

B. 2 tus



tus argumento, quod Baal sive Bel, quem eundem cum sole existimat, vi vocis significet Dominum, Moloch autem sive Melech idem: cum nihil interfit, num sol dicatur vel Dominus vel Rex hujus Universi. Sed Clarissimus Kippingius non solem sed Jovem nomine Beli venire posse demonstrat, vide sis *Antiquit. Rom. Lib. 1. C. 6. n. 4.* Ubi tamen notandum Deastrorum gentilium præcipuorum nomen generale fuisse בעל *Dominus seu rerum potens*, ut apud Græcos Ζεύς & Latinos Jupiter unde in scriptura, plures בלים seu Joves memorantur. בעל vero Assyrii contracte dixerunt בל *Bel* Phænices בל *Bal* atque ea ratione etiam solem בל appellatum concendimus ac etiam à Syris Palmyrenis seu Phænificibus, *Aglibolum* & *Malachelum*, quorum posterius videtur conflatum à מלך & בעל. Vid. *Boch. Chan. L. 2. C. 8.* & *Vossius de Idol. L. 2. C. 5.* Huc pertinet illud Isidorus: *Apud Assyrios Bel vocatur quodam Jacrorum suorum ratione & Saturnus & Sol.*

De



De cætero ex eo etiam hanc conjecturam firmare nititur Vossius, quod in imagine Molochi septem exstiterint conclavia pro numero Solis, Lunæ atq; planetarum, è quibus profertur erat Solis ut excellentissimi numinis, in quo homines immolabantur & tanquam victimæ summæ, summo offerebantur Deo. Verum quæcumq; speciose hæc omnia dicantur, nihil tamen solidi huic assertioni inesse, sed vacillare omnes adductas rationes, ὀφθαλμοφανερῶς apparet.

Nunc ordine succedunt illi, qui Moloch eundem faciunt cum Mercurio, utpote Arias Montanus qui Moloch deducit à מַלְכּוֹ nuncius fuit, quia Mercurius Deorum nuncius statuitur, quod sibi constare nequit; est enim contra scripturam vocis & præterea de Orientis Theologia, non debet judicari ex Græca vel Romana.

Porro insinuat sese conjectura existimantium Molocho Priapum DEum illum ἀγροφύλακον & hortorum Tutelarem

larem indigitari, inter quos Fonseca & Oleastrius eminent, eos autem penitus à vero aberrare in propatulo est.

Dehinc nec desunt Molochū Venerem i. e. Luciferum esse asseverantes, unde vero eorum profluxerit error, indicat Vossius *De Idol. Gent. Lib. 2. C. 5.*

Sed hem inveniuntur quoque, quod præterire non possum, qui nomine Molochi Diabolum notari volunt: Verum quidem est non tantum Eudæmones sed & Cacodæmones, quos ipse Empedocles, ἑρανοπετῆς δαίμονας vocaverat, olim Mosaicis temporibus in Palestina locisque vicinis, atque à Platonicis quoque honore divino, cultos fuisse, in quorum *μυστικῇ Ἰουδαίᾳ* inhumaniter mactabatur, (horrendum dictu) infans materno exsectus utero, quod hisce proditum à Luciano:

*Vulnere si ventris non quo natura vocabat,  
Extrahitur partus calidus ponendus in aris.*  
Imo etiam suo tempore, apud Calecutenses in Oriente: apud Mexicanos in India

India occidentali : & gentem Tapujarum, quæ ἀνθρωποφάγος consanguineos mortuos, exenteratos & affatos voravit, Dæmonolatriam obtinuisse, ostendit Vossius *De Theol. Gentil. Lib. 1. C. 8.* Diabolum tamen sub nomine Molochi adoratum fuisse, nullo modo probari potest.

Nobis cum Clarissimo Kippingio, veritati maxime consentaneum videtur, Moloch Ammonitarum fuisse Saturnum Phœnicum, à quibus omnium gentilium religio deducta est, quod de Chamos, qui pari λαθρεία à vicinis Moabitibus colebatur, seu patet 2. Reg. 3: 27. evincunt Hottingerus, Leusdenius, Pokokius, Hoffmannus, Pfeifferus & alii. Cui rei fidem facit quod è Diodoro Siculo & Plutarcho statua Saturni talis perhibeatur fuisse qualis supra descripta Molochi. Atque sic manifestum evadit, Israelitas prava quadam κακοζήλια imitatos fuisse non υιοθεσίαν ab Abrahamo tentatam, ut quibusdam videtur, sed τεκνέκασιν à Phœnicibus, ad



Ammonitas & Moabitas traductam.  
Sed de Saturno restat ut dicamus.

Coluerunt Phœnices ab origine duo tantum numina, Solem & Lunam, atqui postea apud eos introducta est ἡ πλυθεΐτης, quæ progressu temporis, ita crevit, ut plurimos agnoscerent & DEos naturales & animales, inter quos fuit etiam Saturnus Cœli & Vestæ filius. Phœnicis ipsum fuisse vel nomen prodit, est enim ἁ γῆς *latuit*. Quod vero Creticus & παῖς ὠκεανῶ τε καὶ τῆς θύρας nuncupatur exinde est, quod ab oriente per mare profectus Cretam adivit ducta in agros Insulæ ejus nova colonia, inde vero (ut obiter dicam) ἁ filio Jove, propter austeros mores expulsus, creditus est in Italiam (quod tamen negat Vossius) migrasse atque apud Janum latuisse, Jano autem mortuo, ei successisse primumque agriculturam docuisse: Unde pars Italiæ *Latium* dicta & apud Virg. *lib. 2. Georg. Saturnia tellus*. Vossius *Lib. I. De Idol. c. 18. Saturnum Adamum statuit*. Borchartus autem initio Phaleg ne dubitari

quidem posse affirmat, quoniam Saturnus  
 sit Noach quod 14. firmat argumentis  
 Quicquid sit Phœnicium interim quem  
 nos venamur Saturnum, *Ilum* quoque  
 dictum fuisse, colligitur è Sanchonia-  
 tone, antiquissimo Phœnicum Scripto-  
 re, cujus interpretem egit Philo Bybli-  
 us, historiamque ejus græce reddidit.  
 Versionis autem insigne fragmentum  
 reservavit Eusebius in quo legitur: pri-  
 mum Cœli filium fuisse Ἴλον τὸν καὶ Κρό-  
 νον. Et postea: οἱ δὲ σύμμαχοι τῶν κρόνι-  
 ον. ἐλωέμ ἱπεκλήθησαν, ὡς ἂν κρόνιοι. *Com-  
 militones* ἢ *Il id est Saturni* ἢ *Ἰλ*  
*dicebantur quasi Saturnios dixeris.* ἢ  
*Il* autem phœnicia dialecto est idem  
 ac ἢ *El* Hebraicè. Hic Ἴλ seu Sa-  
 turnus, hostium vicinorum armis op-  
 pressus, filium suum unicum regia sto-  
 la indutum, in holocaustum Dus obtu-  
 lit, Abrahamum forte imitaturus, Itaa-  
 cum immolare paratum. Ob quam  
 causam tum etiam propterea, quod è  
 Sanchoniatone tradit Philo Byblius, i-  
 psium circumcidisse virilia, & *Commi-  
 litones*

litones ut idem præstarent omnes ad-  
egisse, à quibusdam pro uno eodemq;  
cum Abrahamo habetur, quibus obsta-  
re viderur, quod minus credibile sit,  
Phœnices pro DEO coluisse Abraha-  
mum, parentem Israelitarum gentis  
vicinæ maxime exosæ. Ex hoc terali  
sacrificio ortum est, quod Saturnus fili-  
os suos comedisse dicatur: quamvis  
sint qui existiment propterea factum,  
quod græce appellatus sit χρόνος sive  
χρόνος habitusq; temporis DEUS: tem-  
pus vero omnia consumit juxta illud  
Ovidii:

*Tempus edax rerum, tuq; invidiosa vetustas,  
Omnia destruit vitiatq; dentibus ævi,  
Paulatim lenta consumitis omnia morte.*

Post mortem autem hic Saturnus inter  
DEos relatus, & propter tyrannidem  
quam exercuerat astro cognomini, ho-  
minibus infesto, consecratus est, cui  
Phœnices, imminentibus periculis, li-  
beros suos ad averruncandum malum  
per vivicomburium immolaverunt: uti



nos docent verba Porphyrii *Lib. 2. de*  
*abst. anim.* quæ Latine reddita ita so-  
 nant: *Phœnices magnis in cladibus, vel*  
*bellorum vel æstus, vel pestilentia sacrifican-*  
*bant carissimorum quæmpiam Saturno, com-*  
*muniibus ad hoc suffragiis addictum.* Por-  
 phyrus suffragantur Sophocles, Hero-  
 dotus & Lactantius teste Kippingio.  
 Quin & Phœnices ob hanc immanita-  
 tem à  $\Phi\acute{o}\nu\epsilon\iota\varsigma$  quod occidere notat di-  
 ctos, quidam autumant, sed falso, nam  
 Bochartus opinionibus aliorum reje-  
 ctis, Phœnicum nomen, pro summo in-  
 genii acumine, observat & probat de-  
 duci à vocabulo Chananæo,  $\text{פנין}$  vel  
 contracte  $\text{פני}$ , & deinde ad typum  
 Græcæ lingvæ efficto  $\text{Φένικες}$ ,  $\text{Φένικες}$ ,  
 $\text{Φένικες}$  & inde  $\text{Φόινικες}$ , quo titulo tan-  
 quam splendidiori, salutari maluerunt  
 Phœnices, postquam odiosum ipsis cæ-  
 pit esse nomen Chananæi propter ana-  
 thema in patrem eorum Chanaan  
 contortum Gen. 9: 25. De Tyriis, Phœ-  
 nicum clarissimis, digna sunt verba  
 CUR-

Curtii quæ hic legantur : Tyrri Sacrum  
 quod equidem Diis minime cordi esse credi-  
 derim, multis seculis intermissum repetere co-  
 gitabant, ut puer ingenuus Saturno immola-  
 retur, quod sacrilegium verius quam Sa-  
 crum Carthaginenses à conditoribus tradi-  
 tum, usq; ad excidium urbis sue fecisse di-  
 cuntur, ac nisi Seniores obstitissent, quorum  
 consilio agebantur cuncta, humanitatem dira  
 superstitio vicisset, Lib. 4. hist. Cretenses  
 quoque qui Phœnicum erant coloniæ,  
 τῶν Κρήνων ἐν ταῖς περὶ Φοινίκας ἐθρήσκουον,  
 teste Athenagora. De Carthaginensi-  
 bus quos Tyrri Condiderunt, Justinus  
 Lib. 18. hist. narrat: Cum inter cetera ma-  
 la etiam peste laborarent cruenta Sacrorum  
 religione & scelere pro remedio usi sunt.  
 Quippe homines ut victimas immolabant  
 & impuberes, (quæ etas etiam hostium mi-  
 sericordiam provocat) aris admovebant, pa-  
 cem Deorum eorum sanguine poscentes, pro  
 quorum vita rogari maxime Diis solent.  
 Quam crudelitatem, Imilce cum filius  
 ejus maciandus esset, largis fletibus, a-  
 pud

apud Silium in calce libri quarti Punicorum ita deplorat:

*Que porro hæc pietas, delubra aspergere tabo?  
 Heu primæ scelerum cause mortalibus agris,  
 Naturam nescire DEUM: justa ite precari  
 Tibure pio: cædisq; feris advertite ritus:  
 Mite & cognatū est homini DEUS, hæctenus oro  
 Sit satis, ante aras casos vidisse juveneos.  
 Aut si velle nefas superos, fixumq; sedetq;  
 Me me que genui, vestris absumite votis,  
 Cur spoliare juvat Libycas hæc indole terras?*

Ultimo Coronidis loco, observamus  
 Ἰουδαίαν a Phœnicibus & vicinis  
 eorum coloniisque cæptam, Græciam,  
 Africam, Europam & pene totum ter-  
 rarum orbem pervagatam fuisse. De  
 Gallis ut alios taceam Julius Cæsar  
 gravissimus testis, in 6. de bello Gallico:  
*Ratio est Gallorum omnium admodum  
 hæc edita religionibus, atque ob eam causam,  
 qui sunt affecti gravioribus morbis, quique  
 in præliis periculisque versantur, aut pro  
 victimis homines immolant, aut se immo-  
 lant.*



laturos vobent, ministrisque ad  
 ea sacrificia Druidibus utuntur, quod  
 pro vita hominis, nisi vita hominis redda-  
 tur, non posse Deorum immortalium nu-  
 mien placari arbitrantur. De Romanis  
 scribit Gyraldus, præter alios, *Synt.* 17.  
*Hist. Deorum*: Piget referre, quanto in erro-  
 re & quam sæva caligine versatus fuerit vi-  
 ctor ille gentium populus & totius domina-  
 tor orbis omni superstitioni obnoxius donec  
 Cn. Cornelio Lentulo P. Licinio, Crasso Coss. S. C.  
 cautum fuit ne novam inducere religionem,  
 neve hominem immolare aut humano san-  
 guine litare liceret. Vid. Plinius lib. 30: c. 1.  
 Sed quid multis moror? cum constet an-  
 tiqvos quoque Svecos & Gothos, in-  
 humaniter humanis victimis Diis suis  
 quondam Upsaliæ litasse; ubi Fro (qui  
 postea inter Deos minores relatus)  
 hæc sacra maxime detestanda primum  
 instituisse docet Saxo. Præcipue vero  
 humani generis hostiis colebatur Odi-  
 nus seu Othinus, qui Mars ipsis erat,  
 cui tempore belli captivos initio captos  
 veluti

veluti primitias bellorum immolabant.  
 Extra belli tempus etiam aliis Diis, sed  
 raro & summa urgente necessitate, ho-  
 mines & quidem non tantum servi sed  
 & præstantissimi viri communi suffra-  
 gio electi, imo Reges ipsi, cum peccasse  
 adversus Deos & sic famem, bella, vel  
 aliud incommodum induxisse vide-  
 rantur, in holocaustum offerebantur.  
 Ritus erat talis: cum venisset tempus  
 sacrificii, illi qui omnium consensu vi-  
 timæ pronunciati essent, una cum aliis  
 animalibus jugulabantur, post jugulati-  
 onem statim sanguis vase peculiari ad  
 confectio, *Quarbolla* dicto, excipieba-  
 tur, quo utebantur loco aquæ lustralis,  
 pud alias gentes usitatæ, eoque partim  
 sacrificatores, partim adstantes, partim  
 idolum ipsum aspergebant; postea ca-  
 vera jugulatorum in fonte famoso-  
 iuxta priscum templum paganicum  
*Blottfelda* dicto, lavabantur, lota autem  
 purgata, in proximo luco sacro su-  
 sendebantur & tandem aris imposita  
 cre-

cremabantur. sacrificio vero peracto,  
convivia sacra, *Offergille* ipsis nuncu-  
pata, magna cum solemnitate, ab omni-  
bus concelebrabantur. Vid. *Loccen.*

*Antiq. Svec Gotb. Lib. 1. C.3. Et Scheffer.*

*Upsal. Antiq. C.10.*

SOLI DEO GLORIA !!!

